

ralem Martis in dicto signo, natus interficietur à suis inimicis, licet etiam dominus ascendens non fuerit coniunctus Saturno, sed in malo loco coniunctus Marti corporaliter, significat mortem per ferrum. Et etiam si dominus ascendens fuerit cum dicta hac dispositione infortunatus à Saturno impedito, & fuerit Saturnus ex domibus octauæ, significat mortem ex longis pœnis & tormentis, carceribus, submersione, ruina uel casu secundum dispositionem loci in quo fuerit.

Dominus ascendens combustus à Sole, & ab ipso separatus, uadens ad conjunctionem Saturni retrogradi existentis Almuten mortis, decernit malam mortem. Nam si fuerit in aëreo signo, strangulabitur, uel suspendetur.

Si in gradu octauæ domus, neque fortuna, neque infortuna fuerit. Vide tum Almuten mortis, ut sequitur.

Almuten significatorum mortis excipitur à	Cuspide octauæ domus Domino eius Parte mortis Domino eius Octaua à Sole in diurna genitura Domino eius Octaua à Luna in nocturna genitura Domino eius Cuspide ascendens Domino eius Cuspide septimæ Primo dño triplicitatis quartæ domus Primo dño triplicitatis octauæ domus	} Almuten horum locorum, si est infortuna in termino mali, mortem malam indicat, ac secundum qualitatem huius, iudica qualitatem mortis. Nam si fuerit infortunatus, uel impeditus, & à nullo planeta beneuolo subleuatus, significat malam & turpem mortem. Si autem fortuna fuerit, & bene dispositus, significat bonam mortem.
---	---	---

Mars Almuten domus mortis, coniunctus capiti Algol, significat interfectionem nati, posito etiam quòd Mars fuerit dominus ascendens. Si autem fortuna de bono aspectu ex forti loco dictum aspexerit locum, uel si fortuna bene disposita in gradu octauæ domus fuerit, tunc tollit malam significationem ipsius.

Si luminare temporis aspicit Saturnum ex opposito, significat malam & turpem mortem, maxime si Saturnus habuerit dignitatem in octaua, & luminare prædictum in ascendente. Si uero luminare & Saturnus non fuerint præpollentes dignitate in prædictis locis, & aliqua fortuna coniungatur, uel aspexerit aliquem prædictorum, uel fortuna fuerit in gradu octauæ domus, non morietur mala morte.

Si octaua fuerit Capricornus, nec fuerit ibi fortuna, fueritque Mars in Cancro, & Saturnus in Leone, morietur natus mala morte, uidelicet uulnere, uel his similibus, supposito quòd alter esset Almuten mortis.

Saturnus in medio cœli, & luminare temporis in eius opposito, & nulla fortuna in octaua, si nulla fortuna ipsam octauam aspexerit, significat malam mortem.

Quòd si in aqueo fuerit signo, submergetur in aqua. In terreo, morietur ex ruina. In humano uel aëreo, suspendetur, & sic de alijs. Hoc uerum est, dum luminare temporis dominium habuerit in ascendente de domo uel exaltatione. Vel si Saturnus eodem modo dignitatem sortitus fuerit in domo mortis. Sed tali conditione stante, uidelicet cum Saturnus dignitatibus essentialibus suffultus fuerit in octaua, & luminare temporis in ascendente, & aliqua fortuna bene disposita fuerit in gradu octauæ domus, uel ipsam irradiauerit corporaliter per medietatem sui luminis. Vel quòd fortuna bene disposita, aspiciat Saturnum, maxime cum receptione, significat quòd natus non morietur mala morte, sed cadet in periculum malæ mortis, mortem tamen euadet.

Y Directio